



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt VII. Postremi coetus de Decretis, in Seßione vndecimo Nouembris firmandis. Variæ discrepantiae, praesertim de primis causarum delationibus, ac de immunitate Ecclesiasticorum Collegiorum. Cur ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

1563.

nitebantur, ut nihil sibi à Synodo timere posset. Quòd Orator obstitisset, ne hoc negotium inceptaretur, nisi priùs acceptis à se sui Principis iussis, laudem illi, non reprehensionem deberi. Quòd autem in eo modum ac verba ille vsurpasset, quæ referebantur, velle se diligenter de his inquirere, & vbi ea vera essent, rebus, ut oportebat, consulere. Denique ad id, quod Pontifex proponebat de celeri Concilij fine, ad euitanda discrimina aut suspensionis aut dissolutionis, alio responso opus non esse, cum Rex iam per suos Oratores Romæ Pontifici exposuisset quæ ipse censebat de ratione absoluendi Concilij; sed nihil Regem formidare de duobus obiectis periculis: nam ipse profectò ex vna parte huiusmodi rebus minimè consensisset: ex altera fieri non poterat ut ea contingerent nisi ex auctoritate Pontificis; qui cum grauissima damna prænosceret, credibile non erat ut vniquam eò se flecteret.

Enimuerò tela sine cuspidè, esse solent minæ vel expressæ vel tacitæ illorum malorum, quæ pariter nocerent minitanti, nisi idem aut mentis leuitate, aut perturbationis grauitate insanire crederetur.

## CAPVT VII.

*Postremi cœtus de Decretis, in Sessione vndecimo Nouembris firmandis. Variæ discrepantiæ, præsertim de primis causarum delationibus, ac de immunitate Ecclesiasticorum Collegiorum. Cur leuiter agitaretur emendatio Cardinalium: & suspiciones inter Farnesium & Moronum Cardinales. Dissertatio Româ missa, & à Lotharingo comprobata, de celeri Synodi conclusione.*

Litteræ Legatorum ad Borrom. 4. Nouembris 1563.

**S**ensus Principum de Concilio ita se habebant: inter quos Veneti<sup>a</sup> & apud Pontificem Romæ, & apud Legatos Tridenti celeritatis studium, promptumque ad opem ferendam animam egregiè præ se tulerunt. Dies tandem imminens Sessionis Præfides ad curas maximè sollicitas stimulabat. Assidui cœtus habebantur, ad quos Decreta postremò correctæ referebantur. Ea correctio confecta erat, eiusmodi ordine desumpto, sicuti diximus, è generali Conuentu, ut dirigeretur sententijs scriptis, quas singuli Patres detulissent, non autem adnotationibus multis ac fallacibus eorum qui erant à secretis.

Id



Id verò postmodum argumentum præbuerat tum accusationibus, perinde ac si noua Decreta prolatis sententiis non responderent; quod purgatum est b: tum suspicionibus, perinde quali alios alij ad ea varianda pertraxissent, affectiones animorum magis quam mentes commouendo; quod in ancipiti remanebat, vti consuevit: tum etiam litibus, quasi iudicia, postea scripto mutata, vim non haberent ea reuocandi quæ antea in confesso pronuntiata fuerant; quod cogens argumentum non est habitum, cum semper vsque ad Sessionem fas sit sententiam mutare.

1563.

b Acta Paelotti.

Iam verò quoniam in multis articulis comperiebatur, plures sententias vni parti fauere, sed simul ingentem numerum fauere alteri; selecti Patres, vt id innotesceret cunctis Patribus quibus nouum exemplar exhibebatur ad postremum iudicium \* in Conuentu ferendum, in margine adnotabant quot & in quo dissentirent.

c Acta Paelotti, & Arcis Elia tom. vltimo pag. 271. a tergo.

Exemplo sit: Cupiebant complures in primo capite, vt forma eligendorum Episcoporum Pontifici remitteretur.

In secundo, vt auferretur Episcopis obligatio, de qua diximus, obedientiæ Archiepiscopis exhibendæ.

In quarto, quod nunc obtinet quantum locum, vt causæ minores Episcoporum, ob delictum cui abrogatio aut suspensio non debeatur, à Prouinciali Synodo cognoscerentur.

In nono (numerantur hic, vt indicaui, eo ordine quem tunc habebant, non eo in quem postremò redacta sunt, vno addito, quod antea sublatum fuerat) vt in Episcopis facultas inuisendi, non intelligeretur de Ecclesijs, quæ Conuentibus generalibus subduntur.

In decimo septimo, vt qui examen exercebant, non eligerentur à Synodo Prouinciali, sed ab ipso Ordinario, cuius erat sacerdotia conferre.

In decimonono, vt mandata, per bona Ecclesiastica viris pauperibus ac doctis consulendi, in more seruarentur.

Sed in quinto potissimum, quod sextum nunc est, maximoperè litigatum. Etenim aliqui suadebant, vt retinerentur immunitates illorum Collegiorum, quæ Academijs subiacebant, idque Complutensis Academiæ gratiâ, vt vidimus. Præcipuus huius partis fautor erat Andreas de Cuesta, Antistes Legionensis, ad quem accedebat Mendoza, alijque complures. At verò qui Academiæ æmulæ, hoc est Salmanticensi, fauebant, obstiterunt, ac præcipuè Granatensis, qui dixit, Se loqui, ne detrimentum paterentur Archiepiscopi Toletanus



1563. letanus & Hispalensis, vt qui generalia studiorum Gymnasia in suis diœcesibus obtinebant: connumerauitque cuncta incommoda ex huiusmodi immunitatibus. Quod multos peruertit, multoque plures peruertisset, nisi modicus Italicorum amor in Guerrerum vim eius adhortationum apud ipsos non hebetasset; cum documentum illud Rhetorum, vt Orator beneuolentiam sibi conciliet, non tendat ad voluntates solum, sed ad intelligentias alliciendas.

*d* Acta Pa-  
lcotti.

Cum denuò sententias dicere redordirentur, Hydruntinus tamquam æquum proposuit<sup>d</sup>, vt insularum Antistites, quippe maris difficultatibus obnoxij, priuilegio fruerentur, quo liceret ipsis Synodos Prouinciales per procuratorem adire. Madruccius non comprobauit exceptiones quæ ponebantur de primis causarum iudicijs Ordinariò referuatis: fateri se quidem, potestatem inesse summo Pontifici eas cognoscendi, sed graui de causa, & parcè: affirmauitque, si Cæsar, qui summus erat inter laicos, uolisset primum alicuius causæ iudicium ad se ab alijs reuocare, forsitan illi haud permissum iri.

*e* Extat in  
narratione  
Moroni de  
sua legatione  
ad Conciliū.

Maiori parti placuerat, quemadmodum notauimus, vt leges ad Cardinales reformandos seorsim sancirentur<sup>e</sup>: & quamquam non facultates modò, sed mandata à Pontifice tradita ad id propenderent, tamen visum est Legatis, hoc si tentaretur, Synodum ingressuram nouum vastumque pelagus, cuius notitiam perpauca ex Patribus habebant; adeoque tum ex huius notitiæ penuria, tum ex aliqua æmulatione Præsulum Transalpinorum erga illius Collegij prerogatiuas, absurdissima propositum iri, vnde non modica discordia & prolixitas oriretur. Quapropter conati sunt prudenter, quod ipsis euenit, maiorem partem ab hoc remouere, vt proinde Cardinalium emendatio cum vniuersali consociaretur, & ita minorem temporis consiliorumque portionem sibi deposceret. Ad quod motus etiam fortasse fuit Moronus<sup>f</sup> ab epistolis duorum Farnesiorum Cardinalium, qui ex sensu quasi communi Romanæ Aulæ conquesti sunt, quòd ipse sineret Romam & Collegium emendationibus onerari, emendationem verò Principum omitteret, nimium illorum votis indulgendo. Qui sensus Purpuratorum adeò præcellentium, comperti à compluribus Italicorum Patrum, studiosis Farnesiorum, potissimum in causa fuere, vt tam multi conspirantes negarent se de reliquis articulis locuturos, nisi articulus de Principibus reponeretur. Fueratque firma Pauli III. voluntas, vt vtriusque partis correctio æquè procederet, cum existimaret, hac ratione Principes æquiores in aliena, & faciliores in sua futuros. Sed

*f* Constat ex  
epistola Phi-  
lippi Geri  
Episcopi In-  
arimensis ad  
Carolium  
Gualfreduc-  
cium, qui  
Farnesio à  
secretis erat,  
8. Nouem-  
bris 1563.  
*g* Vide finem  
cap. 2. lib. 3.  
& apparet ex  
epistola Iulij  
III. ad Lega-  
tum 16. Ian-  
uarij 1552.

postea



postea Iulius, quò calumniam disijceret, quòd Roma hoc excusa-  
tionis obtentu reformare se nollet, ad suum Legatum scripsit, se  
consentire vt præcipuus reformator primo loco reformaretur, &  
de hoc etiam Pius conuenerat.

Iam verò ad nostrum argumentum regrediamur: Moronus, qui,  
vtpote à Farnesijs in Senatum adlectus, plurimà eos obseruantia  
prosequatur, epistolam ad Alexandrum rescripsit, in qua statum  
Concilij, & necessitatem sic agendi per magnam libertatem expo-  
nebat. Et quoniam mutuarum huiusmodi litterarum non modò  
notitia, sed etiam exempla transuolarant, suspiciones admodum  
graues inter eos Cardinales coortæ sunt; adèd vt Moronus, id tem-  
poris animaduertens innumerabiles insimulationes, quibus ipse  
obnoxius erat apud Principes, Oratores, Præsules, Pontificem &  
Cardinales, eò progressus est, vt diceret, Maiorem calumniarum  
copiam contra se Tridenti scaturire, quàm aquarum ex illis mon-  
tibus; sed securæ conscientiaæ aggeres efficere, ne totam illam elu-  
uionem timeret. Quocircà dissimile vero non est, ipsum, quò mi-  
nùs exasperaret Collegium, cuius querimonias accipiebat, sedu-  
lò studuisse, vt illius ordinis emendatio euaderet moderata ac tem-  
perata. Non tamen illi satis fuisse hæc adhibita studia ad tranquil-  
landum Farnesij animum, cum hic ad Moronum responderit<sup>h</sup>, effe-  
ceritque vt responderetur à Gualfreduccio, qui sibi à secretis erat,  
ad Philippum Gerium Episcopum Inarimensem, eidem intimum,  
Velle quidem à se factum credi eo pacto quo Legatus pro certo po-  
nebat; sed non deesse qui affirmaret, visum à se fuisse in manu Pon-  
tificis exemplum litterarum, quas ipse ad Legatum scripserat. Et  
mihi quidem in comperto non est, hoc verum esse: solum in arca-  
nis litterarum notis, per quas Borromæus rescribit<sup>i</sup> epistolæ Mo-  
roni, datæ Kalend. Septembris, reperio, laudari à Borromæo pro-  
positum quod in ea Legatus patefecit; se videlicet ad cuiusuis litte-  
ras minimè respecturum, nec vllius habiturum rationem in repa-  
randæ disciplinae negotio. Et hæc verba subiicit: *Istis valde dolet  
hæc disciplina restitutio; & non modò si ad ipsos spectaretur, numquam ea  
fieret, sed omni quâ poterunt ratione illam impedire studebunt. Propterea  
nos, qui rationem Deo reddituri sumus etiam de rebus omisis in hac Syno-  
do, par est, vt eos nihil moremur, sed vt id quod expedit, nullo habito re-  
spectu, semper prosequamur.* Et in alius scribit<sup>k</sup>, permolestum acci-  
disse Pontifici, rectam ipsius mentem fuisse retardatam ab eo à quo  
minimè debuisset; sed quamprimùm conquesturum Pium cum  
quibusdam Cardinalibus: quod certè profuisset ad illos in poste-  
rum

<sup>h</sup> Litteræ  
Originariæ  
Farnesij ad  
Moronum,  
& Gualfre-  
duccij ad  
Gerium, sunt  
penes me,  
scriptæ 20.  
Novembris  
1563.  
<sup>i</sup> Arcanæ no-  
tæ Borrom.  
ad Moronũ  
11. Septem-  
bris.

<sup>k</sup> 25. Septem-  
bris.



1563. rum coercendos ne similia tentarent, sed libere progredi sinerent morum correctionem, eo modo quem Spiritus sanctus optimum ostendisset. Vtcumque res se habuerit, certum est, Farnesium purificationibus Legati respondisse per formulas reuerentis potius hominis quàm acquiescentis: de quo inter reliqua hoc argumentum dedit. Scripserat ad eum Moronus, Sperare se illum deceptum iri in aduersis de Concilio præfagationibus, perinde atque semper falleretur de ipsius voluntate, quoties ille quidquam crederet quod sibi officeret. Et ab homine, qui Farnesio à secretis erat, in responsione repositum fuit, Farnesium pariter ita sperare, & iam expertum esse successus prosperos in priori parte, quoniam habitæ Sessionis Decreta longè diuersa visa fuerant ab infausta expectatione; idque se gratulari Legato, tamquam præcipuo illorum auctori: sed herus, antequam litteras subscriberet, hanc ad calcem vehementem appendiculam addi iussit: *Haud tamen omitam tibi dicere, hic homines rerum peritos affirmare, in ea Sessione quædam contineri, quæ huic misera Anla summum detrimentum inferunt.* Nec fortassis hæ suspitionis umbræ (quas diximus in Farnesio de Morono, tamquam de homine, qui suo munere non coactus, effecerit vt Pontificis gratia erga Farnesium minueretur) minimæ fuerunt inter causas, cur hic postea Moronum, à se purpurâ cohonestatum, ad supremum gradum prouehendum minimè curauerit.

Sed eò vnde digressi sumus redeamus. Granatensis reproba-  
uit<sup>1</sup> eam mutationem in Cardinalibus, potius casu quàm datâ opera, reformandis: dixitque: Si illi meri Consiliarij Pontificis essent, in Pontificis iudicio eorum electionem repositum iri; sed cum etiam essent illius electores, adeoque eorundem auctoritas ad vniuersam Ecclesiam pertineret, vniuersæ pariter Ecclesiæ munus esse, ipsorum ætates, promerita, dotes ac patrias ex professo, non in transitu præscribere.

Bartholomæus de Martyribus Archiepiscopus Bracarensis, paulò<sup>7</sup> antea reuersus Româ, miris modis commendauit Pontificem, euique summum studium reparandæ disciplinæ, ac præsertim quod spectabat ad Cardinales; nec in eo se falli potuisse, propterea quod Pontificis sensus vel maxime intimos penetrarat. Postea illustri præconio in calum extulit integritatem probitatemque Caroli Cardinalis Borromæi, qui sororis Pij filius erat, adeò vt dixerit: *Obstacula saluari emendationi non à Pontifice, nec ab eius sororis filio, sed à nobis inyci.* Et adiecit; Hinc sibi animum accessisse, quò maiori studio ac feruore suam impenderet operam ad ea cogitanda, & in Concilio

*Cuncta que in hoc capite sunt, extant in Actis Paleotri, aut Salmanticensis, aut Arcis Romanæ.*



Concilio exponenda, quæ tantum opus promouerent. Id quod in 1563.  
dicenda sententia maximè notabile auditum est, acris reprehensio  
fuit, quâ inuectus est in *mandata providendi in formâ pauperis*, sicuti  
dicebantur. In prouentibus Ecclesiasticis distribuendis spectandam  
esse doctrinam & virtutem, non paupertatem; cum oporteat con-  
sulare muneribus, non hominibus; egentibus subueniendum esse  
per eleëmofynas, non per sacerdotia.

8 Aiala Segouienfis Antistes pro more suo accedere visus est ore  
adeo stomachante, vt cibum omnem auerfaretur; & hos animi sen-  
sus protulit formulis vel maximè odiosis. Reijci à se totam illam  
disciplinæ correctionem, tamquam pluribus in locis vitiosam. Ad-  
ductas iam à se fuisse rationes, cum antea verba fecerat; sed in eo  
Conuentu numerari sententias, non ponderari. Postquam autem  
acerbè varia notauit in pluribus ex articulis propositis, conclusit, se  
minimè assentiri Decretis illis, quia Patrum delectus ad ea confi-  
cienda, æqualiter ex cunctis Nationibus non fuerat habitus; quia  
multum illis additum subtractumque fuerat contra Patrum senten-  
tias, & quia suffragia, prout mos est in Synodis, collecta non fuerant,  
sed priuatim tradita: quocircà de ipsis rationem habendam non  
esse, eademque alia esse, atque ij qui erant à secretis notarant. Pro-  
inde si fortè sibi ex morbo laboranti non liceret interesse Sessioni,  
iam tunc contestabatur, nullius efficaciam illam esse; & à Concilij  
scribis expetebat, vt suam hanc contestationem ( <sup>m</sup> quam scripto  
tradidit ) referrent in Acta. Hic hominis sermo visus est vniuersè  
non ab eius doctrina, sed ab animi perturbatione profectus. Etenim  
etiamsi quæ ille opposuit, vera omnino fuissent, reipsa nihil confi-  
ciebant; cum esset liberum Conuentui tum Patres pro suo arbi-  
tratu deligere, tum etiam aut postea semper improbare id quod  
Patrum delectus legitimè confecerat, aut è contrario comprobare  
id quod ab iisdem haud legitimè compactum esset. Acerbitate  
Aialæ primus Legatorum commotus, in cœtu subsecuto Patres  
commonuit <sup>a</sup>, vt abstinerent à sermonibus obiurgatorijs: etenim  
qui secus fecerit, eum à Conuentu depulsam iri.

9 Lotharingus, qui iam inceptâ hac nouâ suffragatione redierat,  
ferè omnium postremus dixit, & hoc sermonis initio vsus est: Tria  
se à principio optauisse in Concilio, plenam auctoritatem ex parte  
Pontificis, summam fidelitatem in Legatis, perfectam charitatem,  
pietatem, ac rerum notitiam in Patribus. Duo priora non deesse;  
adeoque reliquum fieri, vt Patres pro virili in tertium incumbere-  
rent. Hic verò luculentam laudationem habuit de Pio IV. religio-  
nis,

*m* Est in vlti-  
mo tom. A-  
ctorum Ar-  
cis Æliæ pag.  
180. & se-  
quentibus.

*n* In Actis  
Arcis Æliæ,  
5. Nouem-  
bris 1563.



3563.

nis, disciplinæ, ac boni publici studiosissimo, eodemque parato se conferre in Galliam, in Hispaniam, & quocumque salus & utilitas Ecclesiæ ipsum vocasset. Si Pontifex in his virtutibus tantæ fuerat admirationi Archiepiscopo Bracarenfi, qui religionis studio totus ardebat, cogitarent, qualisnam tepori suo visus fuisset. Nullum sibi ex itineribus suis hoc feliciter euenisse. Nihil excusationis Patribus superesse, ne omnibus absolutam numeris emendationem prosequantur, quando Pontifex contestatus fuerat in Senatu, se illam velle, & grauer oblocutus in eos Aulicos, qui propriæ utilitatis causâ illi videbantur obistere. Deo preces esse fundendas pro diuturna Pastoris huiusmodi vita, vnoque animo ad Concilij confectionem submotis contentionibus incumbendum. Italiam à se magnoperè diligi, tum ob reuerentiam Apostolicæ Sedis, tum quia ipse genus trahebat à maioribus Siculis. Magnoperè Hispaniam diligi, quæ Fidei propugnaculum id temporis erat: magnoperè Galliam patriam suam. Quapropter illos hortari, vt sine vlla ad partes adhesionem, aut animorum discordia, opus perficerent, & ad Ecclesias reuerterentur. Plurimum quoque Legatos commendauit. Quàm ipsis cordi esset sancta disciplinæ renouatio, ex capitibus, quæ proposuerant, agnosci. Complura postea fuisse mutata, sed ab alijs, non ab ipsis, & fortasse non in melius. Per Canones, de quibus tunc sententiæ promebantur, potius relaxari veteres, quàm nouis vinculis restringi: eos tamen admittendos esse ob imbecillam temporum conditionem, per quos tamquam per gradus ascenderetur ad primæuam disciplinam, secundum antiquorum Synodorum Decreta.

Sed ad peculiaria progressus, affirmauit, Optari à se auctoritatem Apostolicam non modò solutam, sed summoperè auctam; tamen hic locum non esse apponendi particulam, *saluâ Sedis Apostolicæ auctoritate*: siquidem disciplinæ reformatæ legibus legum relaxationes aduersantur; & occasio Principibus fuisset præbita, Pontificis illarum postulationibus quotidie grauandi. Iterum censuit, proprium de Cardinalibus caput esse conflandum: ita Pontificem sentire, qui etiam ipsum obstrinxerat, vt hac de re ponderosum aliquid & conspicuum decernendum curaret.

Vnum ex viginti & vno capitibus ablatum fuerat, sicuti dictum est, in quo agebatur de obligatione concionandi, quâ pastores tenentur; & cuilibet etiam ex Regularibus id agere in Diocesis, Episcopis inuitis, prohibebatur. Ablatum hoc fuerat, quòd sufficere censerentur sanctiones habitæ Paulo III. sedente. Sed

Locha-



Lotharingus petijt vt caput illud reponeretur ; & cū multi con- 1563.  
sentirent, repositum est.

In quinto, vbi lex habetur de committendis Episcoporum cau-  
sis, opinabatur, aut caput illud omnino delendum, aut restrin-  
gendum, adiectâ particulâ, *saluis Prouinciarum priuilegijs*: aliter ne-  
cesse fore vt Galli repugnarent, cū Decretum illud opponeretur  
priuilegijs Ecclesiæ Gallicanæ. Improbauit etiam mandata proui-  
dendi ; narrauitque, mentem esse Pontificis vt ea tollerentur.

12 In hanc sententiam iuit Didacus Couarruias Episcopus Ciuita-  
tensis; monuitque, huiusmodi mandatorum vsum fuisse inductum,  
cū Episcopi cuncta sacerdotia distribuebant, nec tam multa re-  
seruabantur, ex quibus nunc Romanus Pontifex abundè habet vt  
per seipsum ea conferat.

13 Salmanticensis, de controuersia, Num apponenda esset in fine  
particula, *Saluâ semper Apostolicæ Sedis auctoritate*, perpendit, quam-  
quam Summus Pontifex sit Caput & Princeps totius Ecclesiæ vni-  
uersalis, nec vllius auctoritati iudiciõve subiectus, adeoque eius  
potestas illæsa perstaret in quouis Concilij Decreto ; tamen eam  
esse temporum nequitiam, vt oporteret id exprimere, & iterum  
atque iterum repetere, ad honestum Catholicorum exemplum, &  
ad hæreticorum abiectiõnem.

14 Auditis singulorum iudicijs, opus incudi redditum est, dato se-  
lectis Patribus negotio, vt omni conatu in eam formam illud re-  
digerent, quæ communiter placeret. Ægro erant animo Hispani, <sup>o Acta Sal-</sup>  
quoniam Decreta reuocandi Collegiorum immunitates, ac resti- <sup>manticensis.</sup>  
tuendi Episcopis primas causarum delationes, videbantur ipsis mu-  
tilata tot exceptionibus, vt alterum litigiorum seminarium eua-  
deret, alterum, lucrum spe longè inferius conferret. Quare ad de-  
liberandum inter se conuenientes, in tres classes diuisi sunt. Aliqui  
vehementiores contestationem suadebant ; alij, difficiliores quàm  
ardentes, auctores erant, vt vtrumque Decretum secundum præ-  
sentem formam reijceretur, eorumque sanctio ad futuram Sessio-  
nem transferretur, compendia temporis sperantes : alij, tempera-  
tiores quàm primi, & cautiore quàm secundi, aduersum hos aie-  
bant, satius esse minus sed certum accipere, quàm illud recusare  
propter spem amplioris sed incerti ; posse quidem favore tempo-  
ris aliquid lucrifieri, sed non minùs posse temporis iniquitate ia-  
cturam fieri totius. Aduersus id quod cupiebant priores, conside-  
rabant, contestationem dissidium, non lucrum parituram ; vniuer-  
si que Concilij dignitati sine vllõ suorum auctorum commodo no-

Pars III.

B b b b

citu-



1563.

cituram. In hac sententia perstitit Salmanticensis, qui tam vehementi studio efferbuit in turbulentis illorum consilijs reprobandis, vt denunciaret, paratum à se animum geri ad prius contestandum aduersus eos qui contestationem molirentur. Hic vocis tonus nimis elatior visus est Iacobo Giberto de Noguera Episcopo Alifano: quare formulas parum reuerentes in eum iecit. Sed ille, vt qui & causâ & familiâ se validum sentiebat, responsa acerbè mordacia homini reddidit: postea tamen facti pœnitens, quippe qui pietate atque humanitate pollebat, Alifanum inuitauit ad mensam; cuius iucundi liquores sæpè succensas discordias extinguere consuerunt, eumque in gratiam reduxit; ratus, viri cordati, nedum Ecclesiastici, dignitatem post contentiones sitam non esse in honoris prærogatiua sibi seruanda, sed in æqualitate sponte reponenda.

Conclusum tandem est, de primis causarum delationibus recipiendum esse Decretum sicuti digestum fuerat: etenim cum in eo solum ageretur de Aula Romanæ detrimento, Pontifex Legatique vsque aded ibi potuerant indulgere, vt numquam alias Episcoporum auctoritati tantum accesserit. Sed de Capitulorum immunitate, quoniam tertiæ personæ detrimentum inuoluebatur, Hispanis eius reuocationem nonnisi circumspectam ac limitatam obtinere licuerat, & odium contractum ob expulsionem Procuratoris Collegiorum, quidam contra illos procurator euaserat, longè validior quàm alter fuisset. Quamobrem opportunius existimarunt, vt Decretum illud futuræ Sessioni reseruaretur.

Dum hæc agebantur, die nono Nouembris Romanus tabellarius Tridentum peruenit <sup>16</sup>, qui detulit ad Legatos commentarium ad Synodum contrahendam, in quo etiam ratio habebatur, quâ id Patribus persuaderetur: Commentarij, reuerà à Morono profecti, hæc erat summa: Cum hinc necesse esset celeriter finem imponere; hinc verò argumenta iam proposita nec statim concoqui, nec decorè prætermitti possent; id quod vnicè expediebat, esse, vt in Pontifice reponerentur: id autem nec honestè nec utiliter à Legatis proponi posse; adeoque rationem tum facillimam tum honestissimam fore, vt illius auctor fieret Lotharingus; qui vbi consilium probasset, suoapte ingenio ad illud prosequendum pronus fuisset. Vt cum eo Cæsariani sociarentur; ita alteri Gallix, alteri Germaniæ necessitatem ad rem obtinendam exponerent. Id si fieret, verisimile videri Italos consensuros, repugnaturus Hispanos: sed posse animosè despici nationis vnius repugnantiam, quò satisfaceret postulatis votisque aliarum complurium prægrandium, & multo magis

*p*Littere Borrom. ad Legatos 6. Nouemb. & Legatorum ad ipsū 10. Nouemb. 1563. q Apparet ex Monumentis Moroni.



gis Hispaniã indigentium. Hæc erat rei summa ; ita tamen , vt  
semper significat Pontifex Legatis <sup>1</sup>, tum vniuersè in argumen-  
tis quæ supererant , tum in vno alteròve Decreto peculiari, curan-  
dum esse vt decerneretur in Synodo viã consuetã , ne res in Ponti-  
fice nisi ex mera necessitate reponerentur.

17 Legati acceptis litteris confestim negotium aperuerunt Lotha-  
ringo ; is verò exemplum suorum consiliorum , quæ Pontifici voce  
descripserat, id ipsum agnouit : tamen suavit, vt die postero, qui po-  
stremo confessui præscriptus fuerat, nihil ea de re proponeretur,  
ne difficultates vnius cum alterius operis difficultatibus coniu-  
gerentur, & ita fortasse insuperabiles redderentur : id sanè cum ip-  
sis, quod cum hostibus, agendum esse ; vt cuncti superentur, singu-  
los aggredi opus est. Idem Legatis visum , inter quos Osio postre-  
mum cœtam adire non licuit, quòd febris laborabat, quæ à Sessio-  
ne pariter eum longè detinuit, eidemque timorem incussit, sicut  
ipse scripsit ad Borromæum, ne per integram illam hiemem ab ea  
diuexaretur. Quare alicuius audacis fabulatoris somnium fuit, affir-  
matum postea tanquam verum per summam confidentiam à Sua-  
ui, morbum ab Osio simulatum fuisse, quòd sibi nefas duceret  
assentiri Decreto de matrimonio clandestino, atque id ipsum etiam  
verbis ab illo declaratum. Missum faciamus, quòd cum Acta  
tum Paleotti tum Salmanticensis magnã libertate scripta fuerint,  
in his ne verbum quidem, in illis omninò contrarium habeatur.  
Verùm, sicut idem Legatus in Sessione vigesima tertia Decretis de  
Sacrificio aliqua ex parte repugnauit, & etiam in hac vigesima  
quarta sententiam oppositam postea scripto misit ; perinde po-  
tuit idem ipse interesse, vnaque cum alijs compluribus, & cum  
Legato Simonetta repugnare ; præsertim cum in scripta sui iudicij  
schedula conscientie stimulos non senserit, in ea re Pontificis iu-  
dicio remittenda. Sed quid coniecturã opus est ? Morbus ille Osij  
Legati tunc adeò manifestus adeoque diuturnus fuit, vt non modò  
illum vetuerit per eos dies interesse Conuentui & Sessioni, sed etiam  
postea tam imbecillum reddiderit, vt ipsi minimè licuerit <sup>2</sup> subi-  
re partem laborum, quos eius collegæ assiduè tolerarunt : quod  
idem graui doloris sensu apud Pontificem excusauit ; & tantum  
adesse potuit functionibus solemnioribus. Proprium est quorum-  
dam ingeniorum, res toruè spectantium, hoc solum verum existi-  
mare, quod quidquid fit ac dicitur, fictum sit : & è conuerso ipsis  
accidit quod lucis illis Platoniani specus accidebat, vt fictum  
pro vero ab ipsorum oculis habeatur.

1563.  
r Constat ex  
litteris ante-  
cedentibus &  
subsequentibus,  
præsertim 8. No-  
uemb. 1563.

Litteræ Le-  
gat. ad Bor-  
rom. ... No-  
uemb. 1563.